





2b. 15



5.5  
R E C T O R  
A C A D E M I Æ F R A N C O F U R -  
T A N Æ  
M A T T H Æ U S

C O L D E B A C I U S ,  
J. U. Doctor & Professor Publicus

*ad funus,*

*quod*

*Vir Excellentiss. & Clarissimus*

D N . G O T H O F R E D U S

W E I D N E R U S ,

Artis Medicæ Doctor & Professor Publicus

*Parens mæstissimus*

*Filiolo suo dilectissimo*

G O T H O F R E D U L O S E C U N D O

*infantulo svavissimo*

*honorificè adparatum cupit,*

*die Januarii XIX*

A N N O M . D C . X X I .

C i v e s R e i p u b l . L i t e r a r i æ

*Universos & singulos amicè invitat.*

---

T Y P I S H A R T M A N N I A N I S .



MATTHEUS

DR. GOTTFRIED

Artes Medice


GOTTFRIED

Civis Reipubl. Literar.

Typis HARTMANIANIS







*X* communi vita conditione  
Et perpetua hominum, cu-  
juscunq; sunt loci Et digni-  
tatis, experientia natum est  
veriverbium Apollonii  
Rhodii

ἔποτε Φῦλα δυηπαθέων ἀνθρώπων  
τερπωλῆς ἐπέβημεν ὅλω ποδὶ. σὺν δέ τις αἰεὶ  
πικρὴ παρμέμβλωκεν εὐφροσύνησιν ἀνίη:  
*Quibus versibus significatur, nunquam genus  
miserorum hominum, ut verbum verbo redda-  
mus, latitiam toto pede accedere: sed aliquam  
semper amaram adesse latitiae tristitiam. Hoc  
etiam verum esse, suo satis exemplo testatur Vir  
Excellentissimus Et Clarissimus Dn. GOTHO-  
FREDUS VVEIDNERUS, Artis Medicæ  
Doct̃or Et Professor in nostra Academia lauda-  
tissimus, qui licet subinde conjugii fecunditate  
exhilaratus, latitiam toto pede vidit inceden-  
tem: hanc tamen iterum, quam ex tertii filioli in-  
cessu conceperat, mutare cogitur in planctum Et  
amaritudinis gustare fontem. Postquam enim  
non ita pridem amisit filiolum alterum, benedi-  
ctionem*



ctionem sensit ille tertiam, anno superiore, pridie  
D. Ioannis Baptista hora undecima vespertina,  
& Divini Numinis praesentiam expertus, filio-  
lum vidit GOTHOFREDUM SE-  
CUNDUM, infantulum suavissimum, lepi-  
dissimum, adeoque ex descriptione Hieropsaltis  
Regii vidit τὴν κληρονομίαν κυρίου, καὶ τὸν μισθὸν τῆς  
καρπῆς γαστρῆς, id est, hereditatem Domini &  
mercedem fructus ventris. Sed eheu brevi vi-  
dit, dum extremum vita spiritum efflavit die  
XIV Ianuarii hora octava huius anni vesper-  
tina, Cujus mors si altera jam vice, pro letitia  
agritudinem, pro animo saliente affectum cruci-  
antem in Parente moveat, non erit illud quidem  
magnopere demirandum. In eum enim luctum,  
nunc ille iterum, sic volente Deo conjectus est,  
cum familia honestissima, ut verissimum esse  
sensu ipso percipiat, quod ex Graecis Poetis qui-  
dam dixit

ὅ γὰρ δὴ μερῶς ἐστι κακώτερον ἄλγος ἔπαισι  
ἢ ὅτε παῖδες ὄλονται ἐξ πατρὸς εἰσορόωντες  
Haud gravior dolor est mortali in pectore, quā si  
Ante oculos obeant pignora cara Patris.

Lu-



47  
Luctuosum certè est, puerum elegantem, ala-  
crem, succiplenum, qui in septem ferè mensium  
aetate, jam risu matrem agnoscere & lato a-  
spectu patrem exbilarare ceperat, nequidquam tandem  
accedente prolabi in morbum sacrum, convulsio-  
nes epilepticas, mortem denique ipsam: at gra-  
tiosum est, quod ne capillus quidem unicus de  
capite, nisi ad nutum prepotentis Dei, potest de-  
jici, quod nulla mors est misera, quæ non æter-  
nam mortem habet comitem; a quo periculo in-  
fans hic, ab infante Christo susceptus, ejusque  
sanguine perpurgatus, fuit immunis. Quan-  
quam igitur Vir Clarissimus pro affectu paren-  
tum animis natura opifice insculpto, facere non  
potest, quin doleat mortem GOTHOFRE-  
DULI SECONDI prematuram: quæ ta-  
men pollet prudentia, positis in rationis lancem  
vitæ hujus & futuræ conditionibus, facile in di-  
scessione hac mortali acquiescet, quæ (ut Idiotæ  
sanctus non vulgariter loquitur) certa & necessa-  
ria, brevis & transitoria, utilis & meritoria  
est. Amisit quidem generis sui firmamentum,  
aut si epitheto Lacanæ ex Stobæo, aut Cornelia  
Gra-



Gracchorum matris ex Valerio Maximo utili-  
ceat, principem suae domus  $\kappa\omicron\sigma\mu\omicron\nu$  seu ornamentum: si  
tamen amissionem istam Christiano animo per-  
pendet, potius praemisit, & ad Dominum redu-  
xit, à quo illum accepit, ex mente Basilii: adeo-  
que ex variis hujus vitae calamitatibus, juxta  
verba Bonaventura, deduxit ad amœnissimam  
civitatem, amantissimam societatem, & amplis-  
simam felicitatem. Enimverò quid tandem  
est, quod in turbulento hoc mundo oblectare &  
ad longioris vitae cupiditatem allicere quenquam  
possit, ubi non solum morborum & ventium fre-  
mitu & bellorum hinc inde furentium tonitru  
homines trepidant, sed terra quoque cui insisti-  
mus concutitur & impendentium magnitudine  
contremiscit. Vnde Parens CL. cum sua DO-  
ROT HE A conjugē suā vīssima, ex amplis-  
simis SEILERIORVM & SOMME-  
RIORVM familiis oriunda, à sobole hac sua  
imposterum avertent oculos corporis, quibus ve-  
tuli hujus mundi & lapsi temporis injurias re-  
spiciunt: ad eamque convertent mentis aciem,  
ut contemplatione gaudii, quo ipsorum jam filio-  
lus



49  
lus potitus est, nos aliquando frui desideramus,  
dolorem ex avulsione tam amati corculi conce-  
ptum leniant. Possem proponere Catonem, Æ-  
miliū Paulum, Periclem & alios quam mul-  
tos, qui magno & infracto animo filiorum suo-  
rum pertulerunt interitum, sed instar omnium  
erit David, cujus præclara hæc vox omnibus con-  
sideranda & imitanda est parentibus: Non re-  
dibit infans ad me, sed ego migrabo ad illum. A-  
nimo fortiori Iobus, qui inter noxios innocenter,  
inter pravos sine reprehensione vixit: DOMI-  
NVS, inquit, dedit, Dominus abstulit &c. qui  
nunc filium mortalem ipsis eripuit, post hæc re-  
stituet immortalem: qui nunc filium ascripsit mi-  
litia cælestis exercitus, prope diem Israelem reli-  
quum e domo servitutis & ergastulo Babyloni-  
co liberabit, inq; novam Hierosolymam in expu-  
gnabilem illam & de cælis descensurâ collocabit.  
Facies hoc pro clemētissima sua benignitate cæ-  
lorum Dominus, & fieri jubebit Ipse, qui

Dejicit, ut relevet: premit, ut solatia præstet;  
Enecat, ut possit vivificare Deus.

Quando autem hodierno die Gothofredulum su-  
um



um Parens inæstissimus in domum suam, quo-  
modo Constantinus sepulcrum vocat, honorificè  
inferre, eidemque iusta funebria officiosè solvere  
constituit: agite Cives Academia præstantissi-  
mi, & quod vel celeberrimo VVEIDNERIO-  
RV M nomini, vel meritis avi materni Medici  
experientissimi Dn. D. GEORGII SEILERI  
Professoris quondam Academiae laudatissimi,  
veletiam honoratissima SOMMERIORVM  
familia, ultrò tributuri essetis: id vestra huma-  
nitate, observantia & pietate persolvite, & ho-  
diè post horam 12. ad aedes CL. Dn. D. VVEID-  
NERI convenite, in funus frequentes procedi-  
te, & sanctis illis animulis ultimum hoc Vale  
nobiscum acclamate

Vivite felices: quibus est fortuna peracta  
Jam sua: Nos alia ex aliis in fata vocamur.

T. E.



Ja 666

ULB Halle

3

002 177 021



5b-700


V017

MC









# Farbkarte #13

## Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

T O R  
R A N C O F U R -  
E

HÆUS

A C I U S,  
Professor Publicus

us,  
d  
Et Clarissimus

FREDUS

RUS,  
e Professor Publicus  
tissimus  
ectissimo

LO SECUNDO

vissimo  
atum cupit,

XIX  
C. XXI.

I. Literariæ

amicè invitat.

A N N I A N I S.